

6

1803
5931

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MORALIS

De

FUGIENDA
VOLVPTATE
ERVDITA,

Quam

DIVINA ADIVVANTE GRATIA

IN JVBILAEA GYMNASII HEIL-
BRONNENSIS

FESTIVITATE

PRAESIDE

M. GOTTFRIEDO HECKING,
GYMNASII RECTORE,

publico eruditorum examini

submittit

JO. HENRICUS BREYERVS, Spirens.

B. A. & Phil. Cultor

J. d. 22. Octobr. A. D. M DCC XX.



HEILBRONNAE: Litteris Jo. Contr. Mayeri.

Hecking

Philos.

C.

209/34

2.

PATRVO PATRIQVE
DOMINO
M. PHILIPPO JACO-
BO BREYERO,

Celsissimo Comiti Hohenloico-Ingelfin-
genfi a Concionibus Aulicis,

DOMINO
LVDOVICO FRIDE-
RICO BREYERO, Medico,


Has Studiorum primitias

deuoti animi pignus

dat, dicat, dedicat

devotissimus

JO. HENR. BREYERVS.





PRAEFATIO.

Mirum saepius subiit, qui fiat, quod tanta vitiorum
 seges efflorescat in iis, quibus prae ceteris mor-
 talium & datum est, vitiis nuncium mittere, &
 iniunctum serio. Eos innuo, qui, dum se totos
 ad doctrinae studia conferunt, vitiorum tum foeditatem
 penitus nosse, tum & mediorum, quae istis opponenda sunt,
 vim intimius perspectam habere, & possent & deberent:
 non dicam, quod rectiora, quam hominum ullus, de volun-
 tate diuina, sui emendationem tantopere urgente, edoceri
 queant. Sed mirari desinet, qui considerauerit, istos, ru-
 pto, quod serium inter Diuini Numinis cultum, veramque
 eruditionem intercedit, vinculo suauissimo, non alium,
 quam scientiam, lucrum, aut famam, finem posuisse labo-
 rum suorum: de proximi, aut suo commodo rite promo-
 uendo, parum sollicitos. Mortalium miserrimi; licet si do-
 ctrinam ipsam spectes, monstra eruditionis, iure suo appel-
 litari queant: cum tristissimam saepius non vitae modo &
 famae, sed ipsius verae & summae felicitatis iacturam pa-
 tiantur. Gloria DEI, salus proximi, propriae voluntatis
 correctio, suprema litteratorum omnium lex esto. Huc re-

A ferantur

ferantur cuncta & studiorum & bene viuendi consilia. Ad hoc centrum si quis direxerit cunctos labores suos, nae, is demum dignus, qui inter eruditos vere felices numeretur. Proin ego, ex quo mecum haec reputabam animo, sic me comparavi perpetuo, ut eorum, qui praesunt moderandis & expoliendis iuuenum animis, partes crediderim haud postremas esse: Musarum alumnis, omni, qua decet dexteritate, scopulos ostendere, quibus tot litteratorum nauis illisa, infelix naufragium passa fuit; quo, horum exemplo edocti, & cautiùs discant nauigare, & feliciùs queant ad portum pertingere.

Praemitto haec, Lector Beneuole, dissertationi, quae de fugienda voluptate erudita inscribitur, ut, ad quem scopum tendat illa, in limine statim cognoscas. Scilicet inter eos, qui eruditorum titulo superbiunt, reperiuntur haud pauci, qui litteris dant operam, non alium in finem, quam ut inde delectationem capiat mens ipsorum, ad ea ceteroquin natura procliuis, quae iucunda sunt, sensusque delectant. Hoc itaque vitium cum experientia edoctus sim, suauitate sua mentita iis etiam se commendare, qui solidae eruditionis fundamenta coeperunt modo ponere, ipsorum gratia, quicquid meditatio suggererat, in chartam conicere, constitui; bona spe lactatus, fore, ut ex perlustratione harum positionum nonnihil emolumenti in ipsos redundet. Tu faue coeptis: DEVS annuat votis.

§. I. Non



§. I.



Non vna est vocabuli *voluptatis* acceptio. Evoluenda itaque ea, vt, quid *erudite* nomine nobis veniat, eo clarius pateat. Scilicet, si generaliter vox capiatur, omne id, quod mentem hominis suaui delectatione demulcet, seu, quemuis motum animi iucundum denotat. Speciatim de dulcedine dicitur atque amoenitate, quae ex gustu bonorum tam praesentis, quam futurae vitae percipitur. In sensu vero malo, eoque strictiori cupiditatem rerum venerearum designat; generaliori autem, vitium est, quo, qui correptus, in ea non nisi fertur, quae sensus delectant, & internos & externos, ita, vt tum felicem se reputet, si iis fuerit potitus. Sunt haec praecipuae voluptatis species, nulla tamen earum locum hic inuenit. Prior enim, si debitos iusti honestique limites non transiliat, in vitio non ponenda. Alteram si perciperent omnes litterati, de infelicitate conquerendi causam iustam non haberent. A tertia & quarta licet non omnes, litteris nauantes operam, immunes esse, clamet experientia; nec ipsa tamen est, quam indigitamus. Reperias enim plures, qui, ignominiae metu ducti, ne famae aut existimationis suae patiantur iacturam, ab eadem valde abhorreant: vitio tamen huic, de quo differimus, nimium quantum dediti.

§. II.

§. II.

Per *eruditam* itaque *voluptatem*, quae ut subtilior à crassiori ista distinguitur, eam voluntatis propensionem denotamus, qua homo, litteris dans operam, in ista solum omni animi nisu fertur, quae sensibus & imaginationi grata sunt, ita quidem, ut, posthabito studiorum legitimo fine, nil agat aliud, nil quaerat, nil cupiat, & euoluendo aliorum scripta, & propriis cogitationibus indulgendo, quam ut ex variarum rerum cognitione oblectamentum capiat.

§. III.

Haec ut clariora fiant ex morum doctrina pauca repetenda. Docent scilicet, qui virtutis praecepta tradunt, quod praeter vnum, verum & summum bonum tria adhuc dentur alia, quae sub bonitatis specie hominis animum alliciant, fallantque. Quorum nonnulla utilitatis se commendent titulo; alia, quod ad ampliandam famam & existimationem faciant; alia denique, quod mentem hominis suauiter delectent. Hominem itaque, aiunt, cum sit natura corruptus, ferri cupiditate sua in vnum praecipue ex his, & vel opibus inhiare, vel famae studere, vel voluptati litare: sic autem ferri, ut in vno horum animi sui quietem quaerat, sed non inueniat. Vere haec pronunciari, vnumquemque edocebit accuratum sui scrutinium; sed tamen & hoc tenendum, quod, quae circumstant hominem, efficiant, ut vna licet in diuersis ad vnum adparens bonum propensio, non vna tamen se ratione exserat. Ponas militem, ponas mercatorem, vtrumque ambitionis typho inflatum, falleris, si ad vnum honoris punctum vtrumque tendere existimas.

§. IV.

Idem de voluptate esto iudicium. Mortalium miseri, qui eius cupiditate laborant, iucunda quaerunt & sensus delectantia: sed

sed

sed cupiditas illa ad certum iucundorum genus, cuius praecipue obtinendi datur copia, quodque statui & conditioni praeter ceteris maxime conueniens, determinatur. Sic, qui hoc morbo correptus, ad doctrinae se contulit studia, dum aliorum euoluit scripta, dum sermones caedit cum eruditis, dum aliorum animos scientia imbuit, vel quicquid tandem aliud agit, non alium in finem aget, quam ut animum deleat: & eo se in cunctis hisce geret modo, ut sine hoc optato potiatur. Hinc *voluptas*, speciali nomine, *erudita*.

§. V.

Fontem huius mali, primarium atque praecipuum, labem originalem esse, nemo negabit, qui diuino scripturae sacrae lumine collustratus, eandem & reliquorum vitiorum foecundam matrem agnouerit. Praeter eam, peculiaris causa illud existit temperamentum, quod sanguineum appellitari consuevit. Qui enim eo praediti sunt mortales, uti omnia sectantur, quae iucunda sunt sensibus, mentemque oblectant: ita ex studiorum tractatione eundem reportare fructum satagunt. Falluntur enim, qui desiderio sciendi istos solum flagrare autumant, quos vana ambitio vexat, aut quorum animos auri sacra fames occupauit. Hi siquidem, licet in gnauiter pertractandis litterarum studiis nihil haud raro faciant reliqui: ab iis tamen, qui voluptatibus sunt dediti, aliquo animi feruore litteras non minus excoli, saepius animaduertes. Ratio haec est, quod quiuis mortalium secreta & abscondita cognoscere cupiat. Quamuis non vnus omnibus praefixus scopus, nec vna tractandorum studiorum ratio aut modus.

§. VI.

Sed dum fontem aperuimus, nihil, ad intimiorem vitii huius cognitionem requiritur amplius, nisi, ut ad mores eorum, quos sanguineos vocant, probe iam attendamus. Sic enim

B

omnia

omnia facile constabunt. Sunt vero isti *primo* inconstantes, mox in haec feruntur, mox in alia; non facile pedem ullibi figunt. Amant mutationem: siquidem ex ea delectationem se capturos sperant. Eandem rationem & in studiorum tractatione tenent. Cum fervore istos in litteras ferri, haud raro animaduertas; sed fervor, quantum ais in principio maximus, mox deferuescit. Ruunt in libros, ut ipsos mox penitus quasi deglutitum iri, credas: sed nihil periculi; contenti sunt, primis tantum labris, vel ex initio aut fine istorum aliquid degustasse; vel praefationem fugitivo oculo perlustrasse; vel summaria, ut vocant, leuiter percussisse. Mox, libro posito, consortium eorum quaerunt, quibuscum, sermones suauiter caedendo, tempus teri posse putant. Mox tabernas visitant, in quibus scripta aliorum venalia prostant, ut perlustratione eorum animum oculosque pascant; mox alia agunt, raro ultimam operi manum admouentes: varietas enim ipsos delectat.

§. VII.

Dem sanguinei, ne, nihil agendo, viam suam viresque male consumere videantur, labores equidem subeunt, sed in quibus nihil, aut parum molestiae ac periculi, quosque leui manu perfici posse credunt: omnes istos subterfugientes, qui multum temporis, non minus curae & sollicitudinis requirunt. Eadem via & in tractandis studiis incedunt. Mollities animi & corporis non permittit, ut, quae dura sunt, quae molesta, subeant. Prolixos commentarios, in quibus concinnandis multum desudandum est auctoribus, frustra ab iis expectaueris. Meditationibus seriis iisque profundis se dare, a genio ipsorum abhorret. Vnius rei considerationi, defixis mentis oculis, tam diu inhaerere, usque dum genuinus legitimusque, post seriam meditationem, de illa formari queat conceptus, nimis molestum: sufficit ipsis, veritatem vel ex praeceptoribus audiuisse, vel ex scriptis fide dignorum auctorum,

auditorum, qui nominis iam sibi celebritatem compararunt, haussisse: quo ipso in auctoritatis praeiudicium, dum fascinari se patiuntur aliorum fama & auctoritate, haud raro incidant.

§. VIII.

Quemadmodum autem, qui sanguineo gaudent temperamento, prae ceteris mortalium, singulari imaginandi vi pollent, sic, ut ad istas artes, quae speciatim phantasiam requirunt, sculptoriam puta, pictoriam, aliasue idonei nati videantur: ita, si animum ad studia adplicauerint, nemo istis aptior erit ad oratoriam & poesin excolendam. Quae quidem studia, quibus magnam isti partem sunt dediti, tantum abest, ut reicienda putem, ut potius, modo rite excolantur, ob insignem, quem praestant usum, iuventuti studiosae quous existimem commendanda modo. Sed qui voluptatis eruditae laborant vitio, à debito tramite & scopo hic etiam aberrant. Si Poetas euoluant; si carmina pangant ipsi; si eloquentiae addiscendae operam dent; si in cathedra oratoria ipsi compareant, animi oblectandi & temporis fallendi gratia haec cuncta faciunt. Habent enim ista aliquid, quod animum suaviter demulcet.

§. IX.

Sed & amor voluptatis eruditae id efficit in istis, ut delectentur lectione fabularum, scriptorumque fabulorum, eorum cum primis, quae cupiditatibus suis pravis & inordinatis pabulum praebent. Quae quidem scripta, ut ex coetu Christianorum proscripita, ad Garamantas vsque relegentur, alibi iam cum aliis optavi. Immo aëta, quae vocant, litteraria perlustrare, in deliciis ipsis positum. Non hoc quidem sine, ut, quid in litterato orbe praestetur ab eruditis; qui ipsorum ingenii foetus in lucem edantur; maturi ne sint, nec ne? qui librorum ordo, summa, cetera, cognoscantur, & proin onere tum lectionis, tum
emtio-

emtionis ipsorum subleuentur: quem certe vsum habent ista acta, quodsi eorundem auctores nec partium fuerint studiosi; nec iudicium ferant, inuidia ducti, iniquum; aut, adulatorum more, coeco amore rapti, absque vilo merito, cuncta admirentur; sed genuina, cur ista euoluant, ratio est, vt oblectetur animus, partim cognitione tot tamque variorum scriptorum, partim ipsis etiam, quae feruntur de istis, iudiciis.

§. X.

Eodem modo cum nouellis, vt nominant, res sese habet. Ista hac legisse mente, vt scias, quid rerum agatur in mundo; quam prouida cura supremam Numen res hominum dispense, hos deprimendo, alios in altum euehendo, poenas debitas de malis sumendo, vel alia quacunque ratione & potentiam suam & sapientiam & benignitatem demonstrando, taceo alia, quem non praestat vsum? at ista hoc tantum fine legisse, vt habeas, quo animum pascas, quo tempus fallas, quod aliis narres, pravae voluptatis eruditae signum est certissimum.

§. XI.

Idem & de studio historico esto iudicium. Ad regnorum & rerum publicarum ortum, mutationes, euersiones, ad variam & mirabilem rerum humanarum dispensationem, ad actiones hominum, iuste, bene, ac prudenter, aut his contrario modo institutas, ad alia, si quis in historiarum probe attenderit euolutione, vsum inde reportabit vberimum. Sed, qui voluptatis eruditae amore sunt capti, insuper habito hoc fine, nec iusto tractandi ordine aut modo seruato, solius oblectationis gratia historias percurrunt: neque de prudentia sibi acquirenda, neque de quaerendo in rebus creatis, aut variis hominum fati, Deo solliciti.

§. XII. Quae

§. XII.

Quae si quis omnia paulo curatius mecum pensitauerit, haud dubie, vitii detestandi, quod otium vocant, reos iure agi posse hos homines, ipse adferturus est. Non enim est, quod existimes, eos solum ipsius arguendos, qui, cum officio fungantur publico, muneris sui partes penitus negligant, aut labores demandatos non perficiant, aut, nihil plane agendo, omnes vitae suae dies, tempusque pretiosissimum inaniter terant: reddent sane isti rationem Deo temporis, tam pessime consumti; sed otiosos merito vocabis etiam illos, qui laborando quidem diem consumunt, non tamen agentes, quae decet agere; non agentes adhibita diligentia debita, non agentes debito modo, nec actionum suarum praefixum habentes legitimum scopum. Et ita comparatum cum iis, de quibus sermo nobis est. Vel enim lectioni librorum incumbunt, quos nunquam legisse satius fuisset; vel neglectis scitu summe necessariis, ad minus vel plane non necessaria deferuntur; vel quae agere decuisset, perfunctorie & leui manu tractant; vel quicquid agunt, hoc solum agunt sine, vt animum suum suauiter recreent.

§. XIII.

Caue autem, de iis haec intelligas, qui voluntatis suae deprauationem acerbè deplorantes, de eiusdem emendatione sunt solliciti. Licet enim, si eo, de quo supra disseruimus, temperamento sint praediti, per naturalem animi sui peruersitatem, ad hoc, non minus, quam alii, ferantur vitium; Diuina tamen gratia adiuti, nuntium ei mittere, & hostem hunc, si denuo ipsos adgrediatur, repellere, nullo non laborant modo. Immo coelestis, quam possident sapientia, labores eorum cunctos ad debitum dirigit scopum, vt nihil hic vitii metuendum sit. Sed qui de mutanda mente sua ne cogitarunt quidem, hoc, quo diximus modo, in tractandis studiis versantur.

C

§. XIV.

§. XIV.

At morbo quaerenda medela, ne, qui eo correpti, pereant, & verae felicitatis iacturam patiantur non reparandam. Rationis non est, media praescribere, quae voluntatem pristinae penitus restituant sanitati: grauior morbus, quam qui tolli per ea funditus queat. DEI opus est, qui infinita sua potentia, vim humanam omnem longe superante, flectere potest animum, mutare, de throno voluptatem, & vitia quaeuis deicere. De quo plura praecipiunt, qui sublimioris & coelestis sapientiae dogmata tradunt. Nec tamen ea negligenda, quae sana suppeditat ratio: minimum enim ad intimiorem miseriae suae cognitionem per ista deducitur homo. Nonnulla eorum subiungemus.

§. XV.

Perpende itaque, quisquis es, qui *voluptatis eruditae* vicio coinquinatus, quam indignum sit homine, sana ratione praedito, vitii, tam foedi, dominio esse subiectum, cum luminis illius ductum secuti saniores ethnici, *fontem* eam vocauerint *omnium malorum; malorum escam, qua homines non aliter ac homines pisces capiuntur, & in barathrum aeterni exitii praecipitentur; pestem, qua nulla capitalior hominibus a natura data.* Magis indignum autem, studiis nauante operam: cum haec talia, gentiliū scripta euoluenti, non offerant se modo vbiuis, sed exempla eorum, quos in omnis genera mala, & in extremam tandem perniciem praecipites dedit voluptas, vitandam esse ipsam, clament. Eo maius autem metuendum ex ipsa periculum, quo speciosior est forma, quam induit, quae se insinuare Musarum cultoribus solet.

§. XVI.

Praeterea consideres velim, praeposterum peruersumque
litte-

litterarum studia tractandi modum esse, si debito fine posthabito, animi solum tui oblectationem in iis quaeras. *Fructus* equidem *doctrinae*, in proverbio est, *dulcis: radix licet amara*; & habent litterae insitam dulcedinem, quam qui gustarunt, nullam molestiam, nullam corporis aut animi defatigationem curantes, nullam saepius capientes quietem, illis se tradunt totos, ut gustatae tamen dulcedinis nunquam ipsos capiat satietas. Sed, qui animi recreationem scopum tractandarum litterarum unicum ponit, is profecto, mancipium se esse inordinatae suae philautiae, satis superque demonstrat.

§. XVII.

Nec illud praetermittendum puto, quod sine optato excidant necesse sit, qui hocce in litteris versantur modo. Ordo studiorum mater est; quem qui negligit, similis mihi videtur iis, qui ad certum tendunt locum, sed mox in hanc, mox in aliam delapsi viam, nunquam ad istum pertingunt. Id autem agunt *voluptatis erudite* amore capti: ad devia deflectunt, regiam viam negligentes; quid mirum, si doctrinae, ad quam aspirant, culmen nunquam attingant? Praeterea, qui ad solidam eruditionem contendunt, solida, necesse est, ponant fundamenta: est enim eruditio, solida rerum cognitio: quomodo autem ponet, cuius animus a devorandis, quae subeundae sunt, molestiis, abhorret? Inde fit, ut multa blaterent: sed inanis ista loquacitas quantum distat à vera eruditione!

§. XVIII.

Quod si vero ipsi nil, aut parum, ex litteris, ita pertractatis capiant emolumentum, num existimas multum capturos alios? Non sibi soli, sed Deo & proximo se natum sciat homo: id quod & sana ratio dicitur. Ponas autem, ad motos esse hos publico muneri, nemo erit, qui maiori negligentia isto fungatur. Quod si informandi alii, qua fiet dexteritate? quum ipsimet eruditionis
verae

verae solida nunquam posuerint fundamenta. Modo effluerit ad docendum destinatum tempus : quicquid sit de discipulorum profectibus. Alii si praesunt muneri, quodcumque illud sit, nullius partes rite exequentur. Ad alia enim, a munere suo aliena, nunquam non ipsos trahit, rapit, voluptatis insanæ cupiditas. Pensita hæc, qui ea te flagrare sentis, & animum tuum muta.

§. XIX.

Otium, quous homine, non dicam Musis dicato, indignum esse vitium, probatione non indiget. Otiando qui tempus perdit, creatoris voluntatem & ordinem inuertit. Perdunt, qui *voluptati eruditæ* litant. Aliquid enim agendo, non autem agendo, quod decet; non strenue agendo; non debitum in agendo modum obseruando, male non minus tempus absimitur ac nihil agendo: de quo supra. At vero quam irreparabile damnum parit iactura temporis! Non redit amissum. Sane plurimos, ad saniores dum redierunt mentem, vehementer hoc cruciauit. Horum tu exempla intuerere, vt sanitati restituatur mens, tam graui morbo laborans.

§. XX.

Sed & illud obserua, quod otii vitium sub specioso sæpius latitet integumento: eo difficilius tum cognoscendum, quo minus pro vitio habetur. Dantur plures, qui eximiis licet a Deo instructi sint & animi & ingenii viribus, sic, vt ad munus quoddam, non sine magno aliorum emolumento obcundum, satis essent idonei: laborum tamen & molestiarum iugo, quod premit munere isto fungentes, collum subdere detrectant. Cumque ipsi habeant, vnde, sine aliorum adiumento, viuant, aiunt, in *otio se malle litterario*, quam in strepitu, vitam suam transigere. Multis turpiter hac ratione imposuere, qui in eam delapsi sunt

sunt

sunt sententiam, quasi & otioso tempore utiliter teri possit, a literis operam dantibus.

§. XXI.

Id contra certo statuas, & cum animo sic reputes tuo, quod de quouis temporis puncto, bene ne an male consumto? reddenda tibi sit ratio: non hoc solum, sed & de ingenii dotibus, quas concessit diuina benignitas. Alieni boni dispensatores constituti sunt in his terris, quotquot vel ingenii vi, vel iudicii acumine, vel retinendi facultate pollent, vel aliis instructi sunt animi dotibus. Serui est, rationes & pecunias Domini sui curare, & diligenter, ad mentem & mandatum ipsius, disponere: bene nobis eueniet, si alienum bonum cum cura & dexteritate administrauerimus. Secus qui egerint, poenas luent. Tu ingenio flores. Reputa Deidonium esse. Non licet eo, ut libet, uti. Si vteris: male agis, & stultitiam animi tui, vanae delectationis cupiditate agitati, sero deplorabis, ni deposueris.

§. XXII.

Plura non addam. Tacita & secreta haec aestimet mente, cui virtutis studium curae: calcar addetur strenue in illius stadio currenti. Qui vitii istius labe conspurcatus, agnoscat suam miseriam: quo & allata viam pandunt; & de remediis, quae emendandae voluntati sufficiunt, dispiciat. Id vero agat in tempore. Periculum in mora. Multos non in perniciem dedisset vitium, si cito obuiam ei iuissent; crescit eundo. In prima illud herba suffocare tantum laboris non facessit, quam si altissimas radices egit. Est instar pestis, cuius si non cursum artis medicae peritus in principio sistat, dum vehementius grassari incipit, vel frustra, vel adhibita non nisi summa cura, prohibebit.

D

§. XXIII.

§. XXIII.

Sed constantia opus. Semel licet debellatus hostis, novas sumendo vires, te iterum adgrediatur. Melle obducta sunt, quae tibi proponit. Ista tu nil cura. Fortiori adhuc animo ipsius te oppone viribus. Acri certamine opus, sed dabit victoriam, qui promisit. Imitare eos, qui ense rescindunt, vrunt, & alia, quibus non potest non maximo dolore adfici aegrotantis corpus, agunt, ne pars sincera trahatur. Seca, rescinde, vte, omnia age, quae ab hocce te morbo liberare, & voluntatem sanitati restituere queunt. Non frustra laborabis: dabit laboranti gratiam, qui promisit.

§. XXIV.

Quare o iuvenes, qui litteris nauatis operam, pensi haec quaeso habete. Certe vos cum primis telis suis petit hostis: quoniam a vobis omnium facillime victoriam se reportaturum sperat. Nec spes ipsum fallit: cum plurimi nec telorum peripiciant vim, nec strenuum cum hoste inire velint certamen. Aliam Vos induite mentem: id fiet, si, quod supra optavi, eruditioni, ad quam adspiratis, sincerum Diuini Numinis cultum iungatis. Quae hic traduntur, non fugitiuo percurrите oculo: sed animo inscribite, & tota vita exprimate. Praeclara Senecae verba epist. XCV. quibus claudio: *discas, quod oportet, & quod didicisti, agendo confirmes. Nam qui didicit & facienda & vitanda, nondum sapiens est, nisi in ea, quae didicit, eius animus transfiguratus sit.*

S. D. G.